

tur, et sufficit probatio per contritionem perfectam. *V. S. Lig. n. 256 et seq.*

283. — *R. ad 3^m Quæ.* In primo casu induendus est SANCTINUS ad celebrationem Missæ non omittendam, quia non solum non constat eum graviter deliquisse, sed omnino præsumendum est nullum dedisse consensum pravis diaboli suggestionibus, cum a peccato generatim abhorrere videatur, utpote timoratæ conscientiæ.

In secundo casu, timendum est ne ELIGIUS ausu temeratio in mortali celebret, fucum sibi faciendo, seu facilius in sui favorem præsumendo, cum sit facilioris conscientiæ, nec videatur adeo a peccato abhorrere. ELIGIUS igitur a periculo hallucinationis sedulo caveat.

In tertio casu, CORNELIUS recte egit Missam inceptam proseguendo, actu contritionis elicitō de peccato memoriæ occurrente; sed non debuit Missam die sequenti celebrare, omitta confessione, nisi, deficiente Confessario, adfuerit celebrandi necessitas.

CASUS XIII.

DISPOSITIO ANIMÆ 2^o.

NABORIUS, Sacerdos, peracta confessione, recordatur se peccatum lethale inculpabiliter inter confitendum omississe. Sed, cum proprius Confessarius ad plures dies discessisset, et magnæ difficultati ipsi esset suam apud alium conscientiam prodere, Missam celebravit, nullo præmisso contritionis actu. Illud autem peccatum post octo dies aperuit, quando apud Confessarium ordinarium exomologesim suam de more instituit. Alias in aliud peccatum grave incidit, et quidem reservatum. Urgebat celebrandi necessitas, erat enim dies festus solemnus, et, si Missam omississet, grave scandalum apud fideles oriturum fuisset. Sed non aderat præsens nisi simplex Sacerdos, qui nulla potestate super peccata reservata pollebat. Statuit primum NABORIUS hunc adire et apud ipsum confiteri, celato tamen peccato reservato; sed, cum nullo alio peccato gravi inquinaretur, existimavit se ad id non teneri. Quapropter, præmisso contritionis actu, ad altare accessit, Sacrum facturum.

HINC :

QUÆR. 1^o An NABORIUS obligatus fuerit quamprimum confiteri, seu an graviter peccaverit Confessarium expectando, et confessionem ad octo dies differendo?

2^o An peccaverit nullum actum contritionis ante Sacrum eliciendo?

3^o An potuerit, in secundo casu, Missam absque confessione celebrare; vel, an confitendo potuisset peccatum reservatum omittere?

SOLUTIO :

284. — *R. ad 1^m Quæ.* Nego, saltem probabilius. Ratio est, quia NABORIUS non celebravit Missam, omitta confessione; reapse enim confes-

sus est, seu præmisit probationem a *Conc. Trid.* requisitam, et peccatum omissum fuit vere deletum, licet indirecte tantum. *S. Lig. n. 257*, et alii præsertim recentiores, contra veteres non paucos. Ergo NABORIUS minime peccavit confessionem differendo, et interea celebrando. *V. Comp. n. 326 et 328.*

285. — *R. ad 2^m Quæ.* Neque peccavit NABORIUS nullum contritionis actum celebrationi Missæ præmittendo, quia non est conscius peccati mortalis, siquidem per confessionem jam probatus est. Peccatum enim ex oblivione omissum non gravat amplius conscientiam, cum *indirecte* jam remissum fuerit.

286. — *R. ad 3^m Quæ.* NABORIUS potuit Missam absque præmissa confessione celebrare, actu perfectæ contritionis emisso, si alia culpa lethali careat. Ratio est, quia ad confessionem non tenetur neque ratione peccati reservati, quod *directe* remitti nequit, neque ratione venialium, quæ non sunt materia confessionis necessaria. *S. Lig. n. 265.* Neque, si voluit confiteri, debuit necessario peccatum reservatum aperire, saltem *probabilius*; quia, ut jam dictum est, peccatum *directe* remitti non potest, et insuper obligatio daretur bis idem peccatum confitendi, scilicet Superiori et inferiori, quod communiter non admittitur. *S. Lig. n. 265, et alii contra aliquos. — V. Comp. n. 577, 578.*

CASUS XIV.

DISPOSITIO ANIMÆ 3^o.*Parochus intricatissimus.*

FLORENTINUS, Parochus, ætate gravis et apud omnes spectabilis, humanam expertus est fragilitatem. Etenim, cacodæmone impellente, in peccatum grave et probrosum secreto labitur. Mox pro ipso urget celebrandi necessitas, quam nullo prætextu declinare potest. Sed alio adhuc premitur infortunio: longe abest ejus Confessarius; solus præsens adstat FLAVIANUS, ejus Vicarius. Sed a pandenda huic conscientia quam maxime abhorret. Est enim FLAVIANUS junior Sacerdos, qui in summam admirationem venit, si tam putidum peccatum a viro gravi et senescente patratum audiat. Quid exinde fiduciæ et bonæ existimationis in Parochum, animo Vicarii inhærebit? Nonne famam sanctitatis et viri moribus gravis, qua parochiæ Rector apud juniorem Sacerdotem gaudet, amissurus est? His secum perpensis, FLORENTINUS, licet ægerrime, prætermitta confessione, elicitō tamen contritionis actu, ad altare accedit, Agnum immaculatum oblaturus.

HINC :

QUÆR. 1^o An FLORENTINUS, his positis, potuerit Missam celebrare absque præmissa confessione?

2^o Quid de rationibus ab ipso allatis?

SOLUTIO :

287. — *R. ad 1^m Quæ.* Quid dicam de te, o FLORENTINE, venerande quidem, sed infelix Sacerdos? Qualem sententiam a me expectas? an propter compassionem etiam plenam indulgentiam? Compassionem quidem lubenti animo tribuam, et ego ipse tecum flebo super lugendum casum tuum, et diras animi angustias, quibus adeo adactus et compressus fuisti. Verumtamen nullatenus tibi indulgere valeo. Ægre quidem sed patefaciendæ veritatis necessitate compulsus, te ingentis sacrilegii reum arguam. Etenim, præcepto *Concil. Trid.* gravissimo ex humana verecundia posthabito, ad altare accedere, et conscientia polluta, Sacrum facere non dubitasti! *Sed*, ais, *contritionem perfectam de peccato elicere non prætermisi.* Inanis contritio! Minime valet hæc conscientiæ probatio, et invalidum atque mancum prorsus contritionis actum elicitur. Nam ille qui perfecte dolet de peccatis paratus est omnia præcepta in posterum servare; tu vero, eo ipso tempore quo contritionis actum elicere præsumebas, mandatum grave prætermittere statuebas, et legem Ecclesiæ conculcabas! Nonne hæc tua agendi ratio, irrisio et subsannatio, potius quam pœnitentia dicenda est? Audi Paulum clamantem: *Nolite errare, Deus non irridetur. Gal. 6. 7.*

288. — *R. ad 2^m Quæ.* Allatæ rationes minime satisfaciunt. Multos quidem prætextus, o FLORENTINE, cumulasti, et forte exaggerando agglomerasti in tuæ causæ patrociniū; sed *declinasti cor tuum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Ps. 140.* Etenim hæc incommoda quæ objecisti sunt ipsi confessioni intrinseca, nec proinde a præcepto confessionis, celebrationi Missæ præmittendæ, te excusare possunt, sicut ab integritate confessionis te non excusarent. Si quidpiam valerent ea quæ in tui gratiam proponis, jam plerumque actum esset de præcepto Ecclesiæ, confitendi ante Missæ celebrationem, imo etiam de mandato divino integritatis confessionis. Numquid Episcopus, vel alius Superior ecclesiasticus quilibet, in peccatum grave lapsus, a confessione apud inferiorem faciendâ excusaretur? Sed, durum! ais. Verum, sed nonne *durum et amarum fuit reliquisse te Dominum Deum tuum? Jer. 2. 19.* Durum! Sed hæc incommoda perpendere et ponderare debuisses, dum te alliciebat et propellebat tentatio! Eia ergo, macte nunc animo, et coram Vicario tuo, si alius Sacerdos desit, et recurrat celebrandi necessitas, humiliter procumbe, et peccatum tuum humiliter confitere, declarando insuper sacrilegium a te patratum, dum, ommissa confessione, sacrum facere ausus fuisti; nec dubites quin, operante divina gratia, nedum animum junioris Sacerdotis a te avertas, contra, in te sis magis conciliaturus (1).

(1) Notandum in hoc casu, Parochum potuisse confessionem ante Sacrum omittere, elicitum tamen actu contritionis perfectæ, si tantum de aliquo peccato reservato ipsi fuisset confitendum, nec Vicarius pro reservatis approbatus fuisset, ut dictum est in casu præcedenti.

CASUS XV.

SACRILEGA MULIER.

Angoribus confecta.

VALERIANA mulier, peccato gravi in confessione celato, non veretur ad sacram Synaxim cum aliis communicaturis accedere. Vix autem S. Eucharistiam suscepit, cum tanto sacrilegii horrore corripitur, ut sacram Hostiam absumere non audens, eam in librum precatorem deponat; domum deinde repetit, anxietate oppressa, et sacrum depositum in arca recondit. Sed ecce nescit misera quid sibi faciendum sit. Obdormire, SS. Eucharistia præsentem, timet; vigilare etiam reformidat; diu noctuque infelix, duris premitur angoribus. Sæpius Ecclesiam ingreditur ad rem Parocho sub confessionis sigillo patefaciendam, sed toties pudore cohibita domum repetit. Tandem re B. Mariæ Virgini enixe commendata, timoreque inde facile superato, ad Parochi pedes provolvitur, et conscientiam totam ei pandit. Jubet Pastor Hostiam a muliere sibi afferri; sed postea nescit quid de ea faciendum sit. Demum, re diu perpensa, statuit eam comburere, et cineres in piscinam projicere.

HINC :

QUÆR. 1^o An VALERIANA sacrilegium minuerit, Hostiam sacram non absumendo; vel quid ipsi fuisset faciendum?

2^o An recte Parochus egerit jubendo Hostiam a muliere sibi afferri, vel num potius ipse ad ejus domum se conferre debuisset?

3^o An recte egerit circa sacram Hostiam, vel quid facere debuisset?

4^o An facile fides adhibenda sit mulieribus in simili casu?

SOLUTIO :

289. — *R. ad 1^m Quæ.* VALERIANA per se sacrilegium non imminuit, imo adauxit; siquidem magis ac magis sacram Hostiam profanavit eam adeo indigne tractando et asportando, ac domi servando. Debuisset infelix mulier, quando horrore sacrilegii correpta fuit, actum contritionis perfectæ elicere ac sacram Hostiam cum fiducia absumere. Dixi *per se*, quia potuit VALERIANA a sacrilegio excusari ratione bonæ fidei, nempe, si de contritione non cogitavit, nec putavit sacrilegium et propriam infamiam alio modo vitari posse. Debit tamen quamprimum, si absque gravi incommodo potuit, sacram Hostiam in Ecclesiam referre.

R. ad 2^m Quæ. Solutio a variis circumstantiis pendet. Si commode potuisset Sacerdos in domum mulieris se transferre, id quidem agere debuisset, ne sacra Hostia iterum a muliere deferretur. Secus vero, si domus mulieris valde distasset, nec facile potuisset adiri, vel si Sacerdos admirationem vicinorum, aut obmurmurationem timuisset: v. g. si visus esset

insolite illuc introire, melius fecisset jubendo sacram Hostiam ad se ab ipsa muliere deferri.

290. — *R. ad 3^m Quæ.* Parochus male fecit Hostiam comburendo, quia actus ille videtur omnino Eucharistiæ injuriosus; sed debuisset vel eam sumere in Missa sequenti ante ablutiones, vel eam asservare in tabernaculo, usquedum videretur corrupta, et tunc eam in piscinam projicere.

291. — *R. ad 4^m Quæ.* Res ex circumstantiis dirimenda est. Visæ sunt aliquando mulieres Hostias non consecratas sibi procurare, et simulare se eas post Communionem reservasse. Si Hostiam afferentes horrore sacrilegii corripere videantur, ut VALERIANA nostra, eis fides adhibenda est. Visæ sunt etiam quandoque mulieres, impietate, vel dæmonis possessione impulsæ, animo sacrilegii patranda ad Communionem accedere et sacram Hostiam asservare, horrendoque modo profanare. Quid vero, si Sacerdos dubitet utrum Hostia ad se allata sit vere consecrata, necne? Eam reverenter colligere debet, et eam tractare perinde ac si consecrata esset; nunquam tamen cum aliis in ciborio est reponenda, sed seorsim asservanda, donec corrumpatur, et postea species reliquæ in piscinam sunt projiciendæ.

CASUS XVI.

JEJUNIUM REQUISITUM 1^o.

ARETHUSA, pia mulier, die festo solemnissimo, erat communicatura cum filiis suis duobus, scilicet BENJAMINO puero annorum decem, qui pro prima vice ad sacram Synaxim accessurus erat, et JULIO, undecim annorum, qui iterum ad hanc solemnitatem erat admittendus. Sed ecce! Mater os lavando guttulam unam aut alteram aquæ involuntarie deglutiit, et paulo post, micam panis ex distractione, immemor Communionis faciendæ, in os immisit et edit. BENJAMINUS vero musculam, quæ in os ejus venerat, et folium arboris viride, quod ludendo carpserat, trajecit. JULIUS autem, e scala in terram decidens, os et nasum in petras allisit, ita ut guttulas sanguinis, tum e naribus, tum e gingivis diffluentes hauserit. Ad hæc omnia attendens ARETHUSA, ocius a Parocho postulat an ipsa cum filiis duobus ad sacram Mensam accedere possit?

HINC :

QUÆR. 1^o *In quo consistat jejunium ad Communionem requisitum?*

2^o *An ARETHUSA et ejus filii communicare potuerint?*

SOLUTIO :

292. — *R. ad 1^m Quæ.* Jejunium ad Communionem requisitum, consistit in totali abstinence a quolibet cibo et potu etiam minimo. Sic ex variis Conciliis et universali Ecclesiæ praxi. Ad jejunium autem illud frangendum requiritur : 1^o ut quid sumatur *ab extrinseco*, non vero tantum ex aliqua parte oris, ut esset sanguis ex gingivis fluens; 2^o ut sumatur *per modum comestionis* aut *potationis*, non vero tantum *per modum respira-*

tionis vel salivæ; 3^o ut res sumpta habeat *rationem cibi* aut *potus* : nemo enim dicitur manducare ferrum, vitrum, lignum. *S. Lig. n. 280. — V. Comp. n. 329.*

293. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o ARETHUSA jejunium non violavit guttulam aquæ unam vel alteram hauriendo involuntarie, quia id non fecit *per modum potus*, sed *per modum salivæ*. Jejunium autem fregit micam panis deglutiendo, quia, licet ex distractione egerit, aliquid tamen manducavit, idque per modum *comestionis* evenit, non vero per modum *respirationis* aut *salivæ*. Proinde ARETHUSA Communionem hac die omittere debet.

2^o BENJAMINUS immunis est a violato jejunio *in primo casu*, si musculam involuntarie per respirationem hausit, ut fieri solet; non vero *in secundo casu*, quia voluit folium viride deglutire, licet distractus fecerit, et folium illud, utpote digestibile, rationem cibi habet. Ergo infelix BENJAMINUS a Sacra Synaxi removeri debet.

3^o JULIUS non fregit jejunium hauriendo sanguinem e gingivis fluentem, quia sanguis ille *ab extrinseco* non provenit. Secus vero, deglutiendo sanguinem e naribus proveniente, licet id involuntarie seu inadvertenter fecerit, nisi forte fuerit tantum una vel altera guttula, salivæ immixta et præter intentionem hausta. Ratio est, quia sanguis ille habet tunc rationem potus et venit *ab extrinseco*; nam dici non potest quod deglutiatur *per modum respirationis* aut *salivæ*. Sic etiam violat jejunium qui sumit aquam licet involuntarie, v. g. quia labitur in flumen, vel quia alius per vim illam in os ejus infundit. *S. Lig. n. 279, et alii communiter.*

CASUS XVII.

JEJUNIUM REQUISITUM 2^o.

HUMBERTUS, DIONYSIUS et LEONARDUS, Sacerdotes amici, ex itinere, hora noctis undecima cum dimidio, valde defatigati et incœnati pridie cujusdam festi, redierant. Impigri mensæ accumbunt, ut breviter reficiantur. Sed inter confabulandum et edendum quam citissime tempus effluit, ita ut attoniti advertant, bibendo, jam advenisse mediam noctem. Assurgunt ocius. Sed *primus* dubitat an biberit post mediam noctem; *secundus* recordatur se bibisse post primum pulsum horologii horæ duodecimæ; *tertius* judicat se bibisse quidem post mediam noctem, sed sine populi offensione Sacrum die festo omittere non posse.

HINC :

QUÆR. *An præfati Sacerdotes Missam celebrare possint?*

SOLUTIO :

294. — *R. ad Quæ.* 1^o HUMBERTUS, qui dubitat an simpliciter cibum post mediam noctem sumpserit, non efformata conscientia per gravem rationem de jejunio non violato, Missam celebrare nequit. Secus, si probabiliter saltem præsumere possit, ut facile fieri potest in nostro casu, se adhuc esse jejunum. Ratio est, quia cum præceptum servandi jejunium, seu de cibo non sumendo ante Communionem, sit negativum, non

teneris a Communionem abstinere quamdiu non es certus de jejuniato violato. *Lacroix*, n. 575, 577, cum *aliis multis*, contra *alios non paucos*.

2° DIONYSIUS, qui aliquid adhuc comedit, vel deglutit quod in ore habet, audito primo pulsu horologii mediam noctem signantis, celebrare nequit, utpote non jejunus. Ratio est, quia pulsus ille primus indicat mediam noctem jam esse completam, siquidem horologium, nonnisi completa hora pulsare incipit. *S. Lig.* n. 282. *Reuter*, n. 175.

3° LEONARDUS, qui Sacrum omittere non potest, nisi cum scandalo vel offensione populi, probabiliter celebrare potest, quia præstat vitare majus malum, seu populi scandalum; minus enim malum est celebrare Missam sine jejuniato, quam cum scandalo offendi totum populum, et tali die privari Missa. Ita graves Theologi contra alios. *V. Lacroix*, n. 582.

CASUS XVIII.

JEJUNIUM REQUISITUM 3°.

GERUNTIUS, bonus vir, grandæva ætate, necnon adversa valetudine non mediocriter molestatus, tum ob stomachi debilitatem, tum ob locorum distantiam, nunquam potuit Ecclesiam jejunus adire quin in via deficeret. Quamobrem, cum ad sacram Synaxim jejunus accedere non posset, solebat, die qua erat communicaturus, parum quid confortativum stomachi, per modum medicinæ degustare, antequam iter susciperet. Scrupulo tamen aliquo quondam correptus, rem Confessario aperit, quærens utrum etiam in posterum id agere posset bis vel ter in anno? Confessarius respondet eum posse id agere?

HINC :

QUÆR. 1° *An communicatio aliquando permitti possit non jejunis, extra mortis periculum?*

2° *An GERUNTIUS, licet non jejunus, communicare potuerit in primo casu? An recte a Confessario fuerit responsum?*

SOLUTIO :

295. — *R. ad 1^m Quæst. Nego.* Ratio est, quia obstat praxis actualis Ecclesiæ. Ita communiter Theologi qui de casu loquuntur. Sic *Reuter*, n. 176 : « Præcipit quidem *Rituale Rom.* ut infirmi ex devotione communicantes sint jejuni, non minus ac cæteri; sed intelligitur de iis qui non infirmantur ad mortem. De cætero, non licet solo ægritudinis titulo communicare sine jejuniato. »

Plures Theologi admittunt quidem infirmum posse raro communicare licet jejunus non sit, saltem tempore Paschali, ubi urget præceptum communicandi. Ita *Elbel*, n. 90. — *Ste-Beuve*. — Sed neque hoc communiter admittitur, licet præceptum communicandi aliquando in vita sit divinum, præceptum vero communicandi, servato jejuniato, sit ecclesiasticum. Ratio est, quia Sacramentum Eucharistiæ, sicut est majoris dignitatis, ita est minoris necessitatis; et supponitur præ-

ceptum divinum non obligare ubi infirmus in morbo non periculoso communicare non potest nisi violato jejuniato, tum ob reverentiam tanto Sacramento debitam, tum ob alia incommoda quæ facile possunt suboriri. Innumeri enim reperiuntur infirmi qui, necessitate allegata, non jejuniato communicare vellent. Ita *Pontas* (1). Imo *Suarez*, de *Eucharistia*, quæst. 80, art. 8, sect. 5, dicit : Papam solum dispensare posse ab illa lege jejuniati ante Communionem requisiti. Idem etiam tenet *Lugo*. Ratio eorum est, quia agitur de lege generali Ecclesiæ magni momenti. Sed hæc quæstio a plerisque Theologis non agitur. Alii putant in casibus omnino particularibus, in quibus sæpe non patet facilis recursus ad Summum Pontificem, Episcopum posse dispensare cum infirmo qui morbo diuturno detinetur, et diu secus Communionem privandus esset. In praxi, tuta conscientia ad Episcopum recurri potest, quia, si existimet se non posse in hoc dispensare ex propria auctoritate, forte ex S. Sedis delegatione dispensationem tribuere valebit. Sed, in theoria, sententiæ *Suarezii* et *Lugonis* potius adhaerendum esse puto. Secus enim dicendum foret, Episcopum posse in omnibus Ecclesiæ legibus dispensare, quod verum non est.

296. — *R. ad 2^m Quæst.* 1° GERUNTIUS minime probandus est, quippe qui in re tanti momenti, proprio sensu, inconsulto quidem Confessario, egerit. Sola simplicitate et bona fide excusari potest.

2° Confessarius non recte egit, boni senis agendi rationem tam facile et modo generali approbando. Debuisset prius ad Episcopum recurrere, sive ad dispensationem obtinendam, sive saltem ad consilium habendum. Si fideles, præsertim rustici, suo sensui relinquerentur, quam multi communicare non jejuni facile præsumerent!

CASUS XIX.

JEJUNIUM REQUISITUM 4°.

JUSTINA, pia mulier, quæ singulis fere diebus sacra Synaxi refici solebat, morbo diuturno licet non periculoso corripitur, ita ut nunquam omnino jejunata, neque per quartam horæ partem remanere possit. Idcirco exorat supplex Parochum ut sibi non jejunatæ aliquoties in anno, saltem

(1) « Nous pensons qu'un infirme, hors de danger de mort, ne peut communier sans être à jeun, parce que la loi qui veut qu'on n'ait rien pris, ni *per modum cibi*, ni *per modum medicinæ*, ne souffre d'exception que quand le précepte divin oblige d'en agir autrement, ce qui arrive en quatre cas : 1° lorsqu'il faut empêcher que les saintes Hosties ne soient profanées par les hérétiques; 2° quand le Prêtre a prononcé les paroles de la consécration sur l'eau, et qu'il ne s'en aperçoit qu'après en avoir déjà avalé et communiqué sous l'espèce du pain; 3° lorsqu'il faut achever la Messe qu'un Prêtre tombé en défaillance après la consécration, ne peut finir; 4° quand il faut donner le saint Viatique à un malade. » *Pontas*, v. Communion, cas. 8. — Sed hæc quarta exceptio communiter non admittitur. Hinc animadvertit *Collet* ad casum *Pontas* : « Il y a d'habiles Théologiens qui croient qu'un Prêtre peut célébrer sans être à jeun, quand cela est nécessaire pour donner le Viatique à un moribond. *S. Antonin* et la plupart des autres que *Benoît XIV* a suivis, pensent le contraire. Il faut s'en tenir là, à moins qu'un malade, mis aux plus violentes épreuves, n'eût de ressource que dans l'Eucharistie. »

Paschali tempore, juxta præceptum Ecclesiæ, sacram Eucharistiam deferre dignetur. Misericordia motus, bonus Parochus annuere vellet; sed mœrens declarat se votis piæ mulieris obtemperare non posse, propter severissimam jejunii legem, a qua soli graviter decumbentes excusantur. Attamen ad ejus solatium promittit, se ei bis vel ter in anno Eucharistiam statim post mediam noctem allaturum esse.

HINC :

QUÆR. 1° *An Parochus potuisset Eucharistiam JUSTINÆ non jejuna aliquoties, saltem tempore Paschali, ministrare?*

2° *An Eucharistiam ad infirmam deferre potuerit post mediam noctem, ut jejuna communicare posset?*

SOLUTIO :

297. — *R. ad 1^m Quærs. Negative*, quia hoc est contra praxim Ecclesiæ et doctrinam communem Theologorum, ut dictum est in casu præcedenti; siquidem soli infirmi graviter decumbentes, a lege jejunii naturalis ad Eucharistiam suscipiendam eximendi sunt. Parochus igitur non potuisset SS. Sacramentum ad JUSTINAM non jejunam deferre, non solum aliquoties in anno, sed neque tempore Paschatis. Cessat enim tunc præceptum Communionis peragendæ, cum adimpleri nequeat nisi seclusa gravissima conditione ab Ecclesia posita et requisita.

298. — *R. ad 2^m Quærs. Nego.* Ratio est, quia *Rituale Romanum* expresse prohibet ne SS. Sacramentum nocte deferatur, nisi periculum mortis urgeat. Hoc tamen fieri potest in monasteriis, collegiis, etc., in quibus S. Eucharistia asservatur, quia tunc publice non deferitur, nec est irreverentiæ periculum. Igitur, si Parochus velit S. Eucharistiam media nocte ad JUSTINAM deferre prius facultatem obtineat ab Episcopo, qui a lege prohibente licet generali Ecclesiæ, cum non sit tanti momenti, facile dispensare poterit. Tunc autem SS. Sacramentum absque tintinnulo deferendum erit.

CASUS XX.

ANGORES NEO SACERDOTIS.

Prima vice celebraturi.

NICASIUS, recens inauguratus Sacerdos, a pluribus diebus privatim in experimento Sacri faciendo se maxima cura exercuerat, ex intentione ut primitias non solum perfectius, sed etiam majori devotione publice Deo posset offerre. Id ipsum etiam fecit mane illius diei quo primam Hostiam erat solemniter oblaturus. Sed ecce! dum totus attendit ad ritum recte perficiendum, immemor instantis solemnitatis, pro more superiorum dierum, Hostiam non consecratam sumpsit. Infelix ad infaustum errorem advertit dum pulsantur campanæ, indices solemnibus Sacri a Neomysta decantandi. Quid faciet miser? Jam cernit pios fideles turmatim confluere; jam coadunata undique ingens et perhonestia cognatio gestiens circumstat,

ipsi gratulatura; jam lautum convivium domi fuit instauratum ad consanguineos et amicos festive excipiendos. Angoribus correptus et confectus, NICASIUS ad patrem Capucinum confugit, et ab eo petit quid in tam infaustis rerum adjunctis sibi agendum sit? Suadet Reverendus Pater ut, re tacita, Missam nihilominus celebret.

HINC :

QUÆR. 1° *An NICASIUS non jejunus celebrare potuerit?*

2° *An celebrare posset quilibet alius, sumpto, ex inadvertentia, aliquo cibo vel potu, ut populus Missam audiat et præcepto satisfaciat?*

3° *Quid, si Sacerdos, incepta Missa, recordetur se non esse jejunum?*

SOLUTIO :

299. — *R. ad 1^m Quærs.* Infelici NICASIO procul dubio misericordia tribuenda est. Aspectus enim circumstantiis, extremisque rerum angustiis quibus pressus fuit, moraliter a Sacro faciendo abstinere non poterat. Et sane, tanto populo expectanti res absque magno incommodo explicari nequibat; quanti enim fuissent multitudinis clamores, quot judicia temeraria! quot obmurmurationes atque scandala! qualis cognatorum dolor et confusio, neo-Sacerdotis contemptus, omniumque contristatio!!... Error ex una parte erat occultus, et ex altera circumstantiæ omnes, simul sumptæ, tantum involvebant incommodum, ut rationabiliter præsumi posset legem Ecclesiæ ad talem casum non extendi.

Secus vero dicendum foret, si ille neo-Sacerdos fuisset homo obscurus, vel alienigena; aut si non ipse solus, sed alii plures fuissent pro prima vice celebraturi; tunc enim Sacrum ad aliam diem remittere debuisset. *V. Gobat, n. 409, de Missa.*

300. — *R. ad 2^m Quærs.* De hoc non conveniunt omnes Theologi. Attamen sola ratio curandi ut populus Missam audiat, non sufficit, juxta communem sententiam, ad celebrandum jejunio violato; quia præstat ut populus Missa privetur, quam ut Sacerdos celebret non jejunus.

Sed facile accedit alia ratio gravis, scilicet, scandali, obmurmurationis, offensionis populi; hæc autem, si facile impediri non possent, v. g. monendo populum quod ex aliquo casu Sacerdos non sit amplius jejunus, licita esset Missæ celebratio, juxta multos, ut dictum est *in responsione ad 1^m Quærs. et in casu 17, n. 294, 3°.*

301. — *R. ad 3^m Quærs.* 1° Si Sacerdos recordetur post Consecrationem se non esse jejunum, non tenetur neque potest Missam deserere, quia præceptum divinum perficiendi Sacrificium præponderat præcepto ecclesiastico communicandi jejunio servato.

2° Si vero recordetur de jejunio violato ante Consecrationem et præsertim ante Canonem, a Missa desistere debet, si, periculo infamiæ secluso, id facere possit. Verum vix Sacerdos unquam a Missa inchoata desistere potest quin scandali periculum incurrat, ut ait *S. Lig. n. 288.*